Grav

L'auteur signale instrument pour l'operation de la cataracte, inventé par Van Wij

Clarissime Vir!

Cum nihil honestius est quam ut unique, qui sive scriptis, sive factis, sive novis inventis, Humanae Societati utiles esse student, meritam laudem tribuamus, cum praeterea eo potissimum tendit Illustris Academiae Regiae Chirurgorum Parisinae scopus, et laudabile Institutum. Nec Tibi Vir clarissime nec Nobilibus Academiae hujus membris mirum videbitur si quid de singulari machina a Peritissimo ac Dexterrimo inter Amstelodamenses Chirurgo C. J. van Wij excogitatâ, ac membranam corneae dividendo dicatâ; ipse viderim ac fuerim expertus, candide et aperte vobiscum sim communicaturus.

Præterlapsâ Hyeme per aliquot tempus Amstelodami moratus, præter quamplurimas alias Operationes chirurgicas, quas summa cum Dexteritate supra memoratus Chirurgus instituit, pluries in cadaveribus.

peractam vidi singularis illius machinæ ope Cataracta Operationem (seu ut magis accurate loquar Corneæ Divisionem) summa cum facilitate et optimo cum eventu, nimirum in omnibus quos examinavi ac dein ejusdem machinæ ope ipse institui casibus, sectio corneæ transparentis horizontaliter facta, perfecte erat semicircularis; ac satis ampla ad emittendam lentem crystallinam deprehendebatur: nec tantum in cadaveribus sed et in vivo homine eundem sortiebatur effectum.

Quarto scilicet die mensis Decembris elapsi Anni Doctorissimus van Wy in Nosocomio Ultrajectino eandem methodum sequebatur in viro annoso cataracta laborante, cujus cornea tam tenax erat, ut majori vi ad intromittendum cultelli apicem opus fuerit; immisso vero apice relaxato elasteris ex voto successit corneæ divisio; et sic plenarie scopo satisfacit hocce instrumentum.

Tutam praeterea ac facilem magis reddunt Hanc Methodum varia instrumenta, quae tam ad elevandam palpebram superiorem, quam ad firmandum oculi bulbum ingeniose admodum invenit et excogitavit Dexterrimus van Wij:

Atque haec quidem omnia nullam aliam ob causam Vobiscum communicavi Quam ut Hominum Integritati, Veritatis Propagationi, et Amicitiae officio ex parte saltem quid conferre possim; Quod superest vir clarissime! ut fausta cuncta Tibi ac caeteris A. R. membris semper eveniant ex animo vovet.

Devotissimus Tuus Minister.

Gerardus Greeve medicinae ac chirurgiae Doctor.

Scripsi Veteris ad Rhenum Trajectus die xiij mensis Martii Anni MDCCLXXXVI